

eadem omnibus imminere clamitantes: simul probra in legatum cumulant, cœlum, ac deos obtestantur; * nihil reliqui faciunt, quò minus invidiam, misericordiam, metum, & iras permouerent. Adcurritur ab vniuersis; & carcere effracto, soluunt vincula: ^b defertoresque, ac rerum capitalium damnatos sibi iam miscent. Flagrantior inde vis, ^c plures seditioni duces. & Vibulenus quidam gregarius miles, ante tribunal Blæsi adleuatus circumstantium humeris apud turbatos, & quid pararet intentos; Vos quidem, inquit, his innocentibus, & miserimis lucem & spiritum reddidistis, sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddidit? quem missum ad vos à germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulauit per ^d gladiatores suos, quos in exitum militum habet atque armat: Responde, Blæse, vbi cadauer abieceris. ^e ne hostes quidem sepulturam inuident. cum osculis, cum lacrimis dolorem meum impleuero, me quoque trucidari iube, dum, interfectos nullum ob scelus sed quia vtilitati legionum consulebamus, ii sepeliant. Incendebat hæc fletu, & ^f pectus atque os manibus verberans: mox disiectis, quorum per humeros sustinebatur, præceps, & singulorum pedibus aduolutus, tantum consternationis inuidiæque conciuuit, vt pars militum, gladiatores qui è seruitio Blæsi erant, pars cæteram eiusdem familiam vincirent, alii ad quaerendum corpus effunderentur, ac nî prope è neque corpus vllum reperiri, & seruos, adhibitis cruciatibus, abnuere cædem, neque illi fuisse vnquam fratrem pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant. Tribunos tamen, ac præfectum castrorum extrudere. Sarcinæ fugientium direptæ. & centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum, cedo alteram, indiderant: quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat. Cæteros latebræ texere, vno re-tento Clemente Iulio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus, ^g ob promptum ingenium. Quin ipsæ inter se legiones octaua &

OBSERVATIONES.

a Hic est mos illorum, quos propria flagitia debitis offerunt suppliciis, vt eos sibi in auxilium aduocent, quos ipsos eadem, aut grauiora meritis intelligunt.

b Seditio saepe multis, quorum de vita, ob flagitia, actum erat, opem tulit.

c Si non initio seditio compefcitur, adeo crebrescit, vt, pro vno plures ei duces exurgant.

d Odiosum atque adeo turpe est, vti opera aliorum, quam militum, in bello: nisi id necessitas suadet. gladiatores certe inde amoueri procul dubio debent. id quod alius Taciti locus aperè docet, lib. 2. histor. ac deforme, inquit, in super auxilium, duo millia gladiatorum, sed per ciuilia arma etiam seueris ducibus usurpatum.

e Hostis hosti sepulturam non inuidet.

f Non temperare manus à pectore, & ore, est animi valde impotentis argumentum, atque adeo eius, qui nihil minus sentit, quam id, quod videri vult.

g Quidam promptum ob ingenium maximis per sepe periculis eripiuntur.